

x EPISTOLA DEDICATORIA.

*bibliothecæ ornamentum proficiscerentur, eam, inquam, expectationem sustinere ac tueri, quoad virium mearum imbecillitas patiatur, nisi diligentissime curarem, nemo prorsus esset, qui me gravi piaculo absolveret. Itaque mora haud ulla interposita in animum induxi, doctis illis viris, quos Lycæum Vaticanum complectitur, novas aliquas veterum Ecclesiæ Patrum Editiones proponere, quas collatis operis luculentas, atque ad Vaticanos Codices emendatissimas adornarent. Occurrit præ ceteris Sanctus Ephraem Syrus, magnum illud Orientalis Ecclesiæ lumen, quem Sanctus Basilius eruditionis causa in primis suspexit, quem Sanctus Gregorius Nyssenus insigni oratione exornavit, quem Sanctus Hieronymus post lectionem Scripturarum in Ecclesiis publice legi consuevisse testatur, quem Theodoretus Cyri Episcopus virum admirabilem, & Scriptorum inter Syros excellentissimum appellat, quem denique Syria Orbis Doctorem & Prophetam passim deprædicat. Hic ille est, BEATISSIME PATER, cujus Operum priorum Tomum Sanctissimis manibus Tuis modo offero, certa spe fretus, impensam in eo edendo diligentiam TIBI haud mediocriter probatum iri: quandoquidem si veteres hujus Patris Editiones inspiciamus, tenebris quodammodo & squallore circumfusus videatur, cum e contra in præsentem nihil omissum, atque omitendum sit, quominus in nitidissima luce (absit invidia) collocetur.*

*Admodum vero opportune accidere mihi videtur,*

ut